



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De milite, qui suspensus mori no[n] potuit, donec Christi corpus percepit,
cap. 49.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

nam euadet. Resistente ei milite, qui illum adduxerat, & dicente, Domine, si eum lateritis, nunquam de cætero verbis vestris crederetur. Placatus Imperator aciecit: Modò liber abscedat, & si a me vel a meis poitea captus fuerit, traditionis pœnam exsoluet. Cumque vir nobilis venisset ad limen palatij, sciens longas regibus esse manus, stans & apud se deliberans, rediit ad iudicium, dicens: Domine non possum effugere manus vestras, tantum præsumo de mea innocentia, & de Dei misericordia, vt in instanti paratus sim me defendere secundum quod iustitia dictauerit: & cum sim nobilis, iuri meo cedo. Respondit Imperator, Modò loqueris sicut probus vir. Quæsitus est in parte aduersaria miles fortissimus, qui eum singulari duello impeteret; die verò altera vir nobilis, præmissa confessione, corpus Dominicum suscepit, sicque cum aduertario tuo, spem habens in eodem sacramento, circulum pugnaturus intrauit: quem cum ille, sicut vir validissimus, impelleret & propelleret, & venissent simul ante Imperatorem, audiente tam Imperatore, quam circumstantibus Principibus, pugil clara voce ait ad militem: Dic mihi, comedisti aliquid hodie: respondente illo, Etiam, corpus Domini mei comedi. Miser ille subjunxit: Etiam si diabolum comedisses, hodie te prosternam. Vt autem pius Dominus sacramenti virtutem ostenderet, mox post verba blasphemiam vires blasphemio subtraxit, & suum militem aced roborauit, vt illum coram se minaret vt puerum, nec stare posset. Qui tandem se reddidit, sicque per eum Dominici corporis miles fidelis victoriam adeptus, cum multa gloria ad sua liber repedauit. Hæc nobis retulit Theodericus monachus noster, quandoq; comes in Wida, qui duello interfuit, & hæc, quæ dicta sunt, vidit & audiuit. Igitur sacra communio salus est & animæ & corporis.

CAPVT XLIX.

Miles quidam nobilis, terram habens & castra, apud prædictum Fredericum Imperatorem a multis accusatus est, quòd prouinciam spoliaret: quem

cum

cum sapius citasset, & non comparuisset, tandem pro-
scripsit, mandans suis, ut illum caperent. Qui cum la-
teret, non tamen minus rapinas exerceret, casu a quo-
dam ex officio captus, patibulo, secundum quod Im-
perator preceperat, appensus est. Tertia die miles qui-
dam prateriens, cum vidisset illum, ait seruo suo, Deus,
quam pulcher homo erat iste: Respondente puero:
Vir ille nobilis est consanguineus vester, accesserunt
propius, ut depositum sepelirent: ad quos ille de pati-
bulo clamauit: Deponite me, adhuc enim uiuo. Aesti-
mantibus illis quia fantasma esset, subjunxit: Nolite
timere, quia homo Christianus sum. Depositus vero,
sic ait; Modicum obsequij ego peccator Deo impedi,
propter quod misertus est mei: singulis diebus tres o-
rationes dominicas cum totidem ueniis sancte Trini-
tati dicere consueui, angelica salutatione premissa:
quinque vero orationes, cum quinque ueniis, & Aue
Maria, quinque uulneribus Christi: simili modo una
orationem, id est Pater noster, angelo cui commissus
sum: item eodem modo unam corpori Christi, quod
singulis diebus conficitur per uniuersum mundum, qua-
tenus in fine uitae meae tanto muniri viatico mererer.
Quod & Dominus mihi prestabit sua misericordia:
unde rogo, ut uocetis mihi sacerdotem, a quo illud sus-
cipiam. Qui cum uenisset, confessione premissa, co-
municauit, moxque spiritum emittens, ad eum, cui in-
corporatus fuerat, feliciter migravit: quem in coemi-
terio sepelientes, tam grande miraculum diuulgaue-
runt ubique. APOLLONIVS: Bene iam ex hoc confide-
to, quod sacra communio salus sit mentis & corporis.
CAESARIUS: Quod salus sit mentis, habes exemplum
in distinctione 2. cap. 16. de milite Remensi, qui eius
esu punctus est ad poenitentiam. Quod uero salus
sit corporis, non solum exemplum est nobis praesens
miles, qui eius uirtute conseruatus est ne moreretur,
sed & subiecto plenius cognosces exemplo.